



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LXI. Filii clericorum, siue geniti sint in sacerdotio, siue non, in ecclesiasticis rebus patribus primo loco succedere non possunt. Si vero vnus plures ecclesias, quas pater eius tenuerat, sit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

rum tuæ prouinciæ teneant ecclesias tamquam personæ vel vicarii, nulla persona media, in quibus partes eorum ministrauerant, eos, siue geniti fuerint in sacerdotio, siue non, ab ipsis ecclesiis, contradictione & appellatione cessante, non differas amouere. Si vero aliqui sint filii clericorum, qui ecclesias quas patres eorum tenuerunt, personis aliis mediis sunt adepti: eos, dummodo idonei sint, in ipsis poteris sustinere: ita quidem, quod si vnus plures ecclesias quas pater eius tenuerat, possidet, quarum vna possit sibi sufficere: ipsum vna, quam maluerit, appellatione remota, facias esse contentum: dummodo ecclesiæ non sint tales, quarum vna a reliqua pendere videatur.

ANNO
CHRISTI
1179.

CAP. LXI.

*Urbanus tertius * Senonensi archiepiscopo.*

Ad hæc cum nonnunquam inter aliquos parochianos tuos, vel inter eos & alios coram iudicibus delegatis agitur controuersia, sæpe a iudicibus ipsis, vt asseris, apostolica auctoritate tibi iniungitur, vt alteram partium forte contemnentem parere iudicio, vel ob aliam causam rationabilem ecclesiastica distictione percellas. Illi vero qui subiacere excommunicationi mandantur, literas ad alios iudices a sede apostolica impetrant, a quibus nihilo minus auctoritate apostolica tibi mandatur, vt eos qui de mandato priorum iudicum fuerant excommunicati, habeas absolutos. Super quo tua discretio dubitat, quid tibi in diuersitate huiusmodi sit agendum: ad quod respondemus, quod si literæ ad secundos iudices impetratæ tacita veritate non fuerint, eos ad mandatum eorum absolutos habere debes, præcipue cum Romana ecclesia absolute sententiæ delegatorum iudicum, nequaquam consueuerit aliis delegare: nisi in literis commissionis expresse contineatur de sufficienti cautione præstanda ab his, qui absolui debent, quod iudicio ecclesiæ debeant obedire.

CAP. LXII. *Idem Legionensi episcopo.*

Ex literis tuæ fraternitatis nobis innotuit, quod diaconus præsentium lator, volens ante tempus ordinari in presbyterum, asseruit se per ordinationem tuam gradum sa-